

Versus magistri Petri contra simoniam.

- Signat musa Petri vario narramine metri,
 Quam sit feralis contagio simonialis¹⁾.
 Undique mundi stagna profundi turbine mota
 Exagitantur, dampna minantur²⁾, pace remota.
 5 Grex viciorum corda virorum pulsant ubique,
 Undique terror, luctus et error multus ubique³⁾.
 Ira, libido, ceca cupido, cuncta capistrat⁴⁾,
 Et sceleratis impietatis tela⁵⁾ ministrat.
 Aurea pestis, sevirior istis⁶⁾, sevirius angit:
 10 Ingruit orbi, vis mala morbi, cunctaque tangit,
 Quamque patenter⁷⁾, quam violenter, secula vexet⁸⁾,
 Nuper Aratus subtitulatus sermo retexit⁹⁾.

- Jam¹⁰⁾ totam Romam sibi vendicat ambitus¹¹⁾ eris:
 Denarium Romam fer, qui venalia queris.
 15 Hic pro denario donatur pontificatus,
 Quodque magis flendum, conceditur ipse papatus¹²⁾.
 Hic abbatia prostat cum prepositura,
 Hic et venalis jacet ecclesiastica cura.
 Hic omnis sacer ordo jacet venalis in urbe:
 20 Ut vendant et emant, stant hic cum Simone turbe.
 Venditor omnis habet merces hic ecclesiales¹³⁾,
 Porticus omnis habet emptores simoniales.
 Signa Petrus quondam faciens sacra respuit aurum:
 Signa modo faciens cum Simone postulat aurum.
 25 Sic magus in Petrum transit¹⁴⁾ vice pontificali¹⁵⁾,
 Inque magum Petrus migrat vice simoniali.
 Roma potens¹⁶⁾ fit vile forum, fit Simonis edes,
 Et fit avaricie templum Petri sacra sedes.
 Nec solam Romam gravat hujus lesio morbi,
 30 Que caput est orbis, set toti jam¹⁷⁾ nocet orbi.
 Nimirum capitis dolor omnia membra replevit¹⁸⁾,
 Deque malo sic principio sanies mala crevit.
 Simon in Urbe furit, amor auri fervet ubique:
 Pontifices per eum populis dominantur inique.
 35 Argenti precio venundatur unctio sacra,
 Reliquie sacre¹⁹⁾ venduntur uti²⁰⁾ simulacra.
 Lingua sacerdotis parvo venalis habetur,
 Cui si nil dederis, divinus sermo tacetur.

1) sim. und sym. wechseln überall ohne Regel. 2) Exagitant dampna. dant prelia C. 3) frausque dolorque C. 4) capessunt C; ministrat A. 5) arma A. 6) estus C. 7) potenter A. 8) vexit A; vexat C. 9) retexit A; retexit C. 10) Cum C. 11) subdit servitus C. 12) Der Vers fehlt A. 13) ecclesiales — emptores fehlt A. 14) torsit C. 15) pontificali — vice fehlt A. 16) nocens C. 17) iam toto C. 18) grauabit A. 19) sacra C. 20) ut A.